Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">>

tant: causam huius erroris paulo post aperiemus: Nunc unitatem dei ac
potestatis testimonijs comprobemus: Prophetae: qui fuerunt ad modum multi: unum deum praedicant. unum loquuntur. Quippe qui unius dei spiritu pleni: quae futura essent pari & consona uoce praedixerunt. At hi. ueritatis
expertes non putant his esse credendum: Illas hi non diuinas sed humanas fuisse voces aiunt. uidelicet. quia de uno deo preconium fuerunt. aut insanias fallaces fuerunt. At qui impleta esse in plerisque quotidie illorum vaticinia uidemus. & in unam sententiam congruens diuinatio docet nos fuisse furiosos. Quis hi mentis emotae non modo futura praecinere: sed & coherentia loqui possit: Num ergo fallaces erant qui talia loquebantur. Quid abhis tam longe alienum: qui ratio fallendi: cum caeteros ab omni fraude cohiberent: Idcirco hi adeo mittebantur: ut & precones essent maiestatis eius ac correctores prauitatis humanae. Preterea voluntas fingendi ac mentiendi eorum est: qui opes appetunt: qui lucra desiderant: quae res procul ab illis uiris sanctis sunt: Sed hi delegato sibi officio functi sunt: ut derelictis omnibus ad tutelam animae necessitas non modo in futurum: sed ne in diem quidem laborarent contenti tenui cibo: quem deus subministrasset: Hi non modo quaestum nullum habuerunt: sed & cruciatus atque mortem. Amara sunt hominibus ac male uiuentibus praecepta iustitiae. Itaque hi: quorum peccata arguebantur & prohibebantur exercitatos eos acerbissime necauerunt. Ergo a quibus abfuit studium lucri: abfuit & voluntas & causa fallendi. Quid quod aliqui eorum principes aut etiam reges fuerunt: in quos cadere non potest suspicio cupiditatis & fraudis: & tamen praeconium dei singularis eadem: quae caeteri: diuinatione fecerunt:—

Locus a testibus

Sed omittamus sane testimonia ppliarum: ne minus idonea probatio uideatur esse. de quibus his omnino non creditur. Veniamus ad auctores: & eos ipsos ad probationem veri testes citemus: quibus contra nos uti solent: poetas dico & philosophos: Ex his unum deum probemus: necesse est: non quo illi habuerunt cognitam veritatem: sed quam veritatis ipsius tanta uis est: ut nemo possit esse tam caecus: qui uideat ingerentem se oculis diuinam claritatem: Poete igitur quaeuis deos carminibus ornauerunt: & eorum res gestas amplificauerunt summis laudibus: saepissime tamen continentur spiritu uel mente una contineri regique omnia: Orpheus: qui est uetustissimus poetarum: & equalis ipsorum deorum. Siquidem traditur inter argonautas cum tyndaridis & Hercule nauigauisse: deum verum & magnum πρωτογονον appellat: quam ante ipsum nihil sit genitum: sed ab ipso sint cuncta generata: Eundem & φαηταν.

.V.

Vis veritatis.

Orpheus.

primogenitum

protogenus